

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Bello, In America An. MDCCLIV Lente Orto, Deinde Potentissima Inter Evropae Imperia, Terra Marique, In Qvatvor Orbis Partibvs Acerrime Gesto, Et ...

Richter, Friedrich-Wilhelm

Huxariae, 1763

VD18 90806395

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194612

* * *

Horrida bella cano terris exorta remotis,
 Crudelique gradu totum diffusa per orbem:
 Europae in gremio donec sedata quierunt,
 Et tandem quatuor cesserunt partibus orbis;
 Reddita tartareis, queis erupere, cauernis.
 Historiae lumen, cantantem tramite recto
 Duc, vt posteritas videat, peccata priorum
 Qua iustum Numen lacerarit vindice poena:
 Et quam Numen idem precibus votisque piorum
 Tandem exoratum renouarit munera pacis.
 Sere nepos, hauri patulis haec auribus, inque
 Vtus verte tuos. Non hic mendacia Troiae
 Sparguntur; Paridis non hic memoratur inane
 Iudicium; Iuno non hic irata refertur
 Aeneae: sed vera Dei depingitur ira
 Veri, mortales senserunt ignea cuius
 Tela diu. Infelix, qui Numinis excitat arma
 Contra se: Infelix, quem Numen fulmine sternit,
 Felix, quem faciunt aliena pericula cautum:
 Felix, qui semper Diuum veneratur amicum.

Terra iacet procul hinc, nulli celebrata priorum,
 Qui tres telluris tantum numerare solebant
 Partes. Hanc saeclo post incunabula Christi
 Inuenit decimo quinto *) male sana libido,
 Auri sacra fames, quae tantum pectora cogit
 Mortalis coetus, foliorum millia quantum
 Aeolus Eurorum furiosis flatibus vrget.
 Nauita Christophorus telluris signa Columbus
 Inuestigauit, solis submersa sequutus
 Lumina. Quum laetus tetigisset litora prima,

Eu.

A 2

*) 1492.

Europam repetit detecti nuncius orbis.
Americus posthaec Vesputius optima terrae
Rura nouae reperit, detectaque nomine claro
Americam dicit. Veniunt tum vela virique
Plures, Hispanis qui ferro ditia regna
Subiiciunt. Veteres coguntur abire coloni.
Pars diris gladiis occiditur: aequore merſa
Pars suffocatur: reliqui seruilie iubentur
Ferre iugum. Miseri, quaenam delicta tulere
Supplicium vobis tantum tantosque dolores?
Auri seruatis montes. Haec crimina vobis
Accelerant hostes & millia multa malorum.
Moeonides, vatum princeps, quem Graecia & orbis
Mirantur, magnusque Maro, romanus Homerus,
Non ipsi possent complecti carmine docto
Omne genus poenae, quod sensit barbara tellus,
Dum rex Catholicus gazas sibi vindicat eius,
Rumores istos, celeri sublata volatu
Fama, malum, quo non aliud velocius vllum,
Telluris veteris partes diuulgat in omnes.
Hispanis terras ingentes esse repertas,
Auri diuitiis plenas opibusque fluentes.
Indigenam imbellem non magno posse labore
Sedibus expelli propriis, aut carcere duro
Fraenari: lucri sed praemia certa manere
Victores. Terras non omnes milite posse
Hispanos raptare suo: sexcenta relinqui
Rura aliis, Veniant: audentes fata iuuare.
Spar ferat haec rumor. Reges stant auribus omnes
Arrectis: omnes tentantur amore repertae
Telluris. Primos auri inuenisse latebras
Lugent Hispanos. Europa irascitur omnis
Succensetque sibi, quod non quaesiuerit arua
Americae princeps. Veluti Cassandra canebat

Vera

Vera olim Troiae, sed nulli credita fata:
Sic quoque Christophorus surdas pulsauerat aures
Europae. Hispanis tandem persuaserat vnis,
Nauibus vt terras ausi sint quaerere, eodem
Sole illustratas, qui nostris occidit oris
Euentus votis respondet. Dantur in orbe
Antipodes, quorum plantis aduersa resistit
Planta. Fidem faciunt iam cunctis verba Columbi.
Sic plerumque homines, quae lustrant lumina, credunt:
Quae credenda forent, mortales credere nolunt.
Iam factum infectum fieri nequit. Optima terrae
Rura nouae princeps Hispanus quaerit habetque:
Nil reliquis superest, quam partes ferre secundas.
Haud mora, sectantur, quo marmore nauita primus
Duxerat Hispanos. Dat Lusitania ventis
Classes. Anglorum velatur nauibus aequor:
Gallorum puppes adparent: gurgitis vndas
Hollandi sulcant: alii tum pone sequuntur.
Americam cuncti celerato remige quaerunt:
Americam inuentam laeto clamore salutant.
Ast simul inuidiam secum duxere per vndas
Europae populi. Stimulis haec pectora pungit
Cunctorum. Nulli satis est inuenta tueri:
Inuadunt alios alii secumque cruentis
Concurrunt telis. Exturbant mutua sese
Agmina liminibus partis. Hinc praelia saeua,
Hinc lacrimae toti venerunt saepius orbi.
Ac veluti corui, qui fratrem gutture pleno
Ire redire vident, monstrati signa volatus
Extemplo relegunt & campi cuncta pererrant;
Donec cum socio potiantur munere praedae.
Tum videas plures insistere, corporis aura
Quos vocat exanimis veloces. Quilibet vngue
Et rostro inuentum rodit carpitque cadauer.

Te

Tergus diripitur costis & viscera nuda
 In ventrem veniunt: sed deficientibus escae
 Particulis, ipsi contra se in tristia bella
 Vertuntur. Rapiunt epulas prandentibus, atque
 Ipsos longe abigunt. Victi coguntur abire,
 Donec collectis redeant ad praelia telis.
 Sic numquam belli rumpuntur fila nefasti.
 Non aliter reges Europae tristibus armis
 Mutua castra petunt. Tanta est haec hydra malorum,
 Orbis terra noui! Viderunt saecula prisca
 Sanguinis effusi riuos: quid tempora nostra?
 Americam rursus doluerunt bella nouare,
 Bella solo toti funestis noxia plagis.
 In primis Angli cum Gallis saepius arma
 Miscent, nec stabili sociantur foedere pacis
 Vmquam. Vix Iani templum clausisse videntur,
 Quum rursus patulis foribus noua bella laceffunt.
 Orbem terrarum testor, num viderit ipse
 Maiores caedis turbas, hoc Marte nociuo,
 Americae tellus quem terras sparsit in omnes?
 Eloquar an fileam! Gemitus lacrimabilis omni
 Auditur terra. Furiarum tota caterua
 Vastat humum. Pluto relinquit pristina regna,
 Atque omnes terras tetrum transformat in orcum.
 Pax fugit & caeli repetit conuexa, quietis
 Atria, quae numquam bellorum concutit horror.
 Ceu quondam Noae manibus dimissa palumbes,
 Quum nusquam siccis pedibus consistere posset,
 Praepetibus reuolat pennis & aperta fenestrae
 Intrat, quae condunt tutam compagibus arcae,
 Diluuique metum munita sede repellunt.
 O spes fallaces hominum! Nos vincula pacis,
 Pacis Aquisgrani *) tanto connexa labore
 Firma putabamus per plures Nestoris annos,

*) 1748.

Ast

Ast vix sex menses Phoebus conspexit in agris, *)
Quum nouus irarum consulto incenditur ignis,
Rursus & in flammis crescunt incendia belli.
Tanta mali labes homines deformat Adamo
Natos, vt fallant fratres, fallantur & ipsi.
Quid iuuat aeternae mentiri nomina pacis:
Pectora si stabili nolunt coalescere amore?

Est Ohio nomen fluuio. Sic barbara lingua
Adpellat fluuium, quem pulcrum Gallia dicit.
Virginiae campos hic lambit: iugera deinde
Ingentis Canadae curuatis flexibus intrat;
Et Mississippi tandem confunditur vndis,
Vndis, quae pelagi fluctus aequare videntur.
Martius hic primum bellis aperitur iniquis
Campus. Vult Ohio fluuio terrisque propinquis
Gallia sola frui: nam se vidisse fluenta
Haec primam, primis eadem coluisse colonis,
Adfirmat. Contra nil Anglus cedere Gallis
Flumine, nil terris, quas fluminis adluit vnda:
Nam possessor habet ripas, dicitque beatum
Sese, cui virtus minor haud est parta tueri,
Quam capere. Incipiunt primum proludere pennis
Ad pugnam. Veluti gladiator ludicra Romae
Arma tulit circo primum, queis edidit ictus
Vanos: tum praeceps ad decretoria tela
Transiit & gladiis hausit praecordia versis,
Vt conspersa soli squallerent limina tabo.
Sic chartae primum Gallis implentur & Anglis
Plures. Camporum limes describitur ingens

Pro

*) 1748 - 1754.

B

Pro re cuique sua. Fines vult ponere terris
 Quilibet ipse suis: contentus limite certo,
 Alter quem fixit, neuter fatiatur. Ad arma
 Ergo transitur, quae disceptare iubentur
 Limitis imperium. Quando mortalibus aegris
 Sat telluris erit? Quando feralia bella
 Cessabunt, limes quae saepius excitat agri?
 De glebis homines, donec soluuntur in illas,
 Praelia stulta cient. Testantur saecula cuncta
 Hanc miseram terrae pestem, qua sordida foetet,
 Ex quo pomorum vetitas decerpfit Adamus
 Delicias, tristi cogentes ora sapore.
 Iam sextum *) caeli rutilans sol viderat annum,
 Ex quo pacis erat per terras nobile regnum:
 Sed iam finis adest. Procul hinc, procul este quietis
 Otia: mortales sitiunt Martemque necemque.
 Vimque dolumque malum Gallus coniungit, & ingens
 Agmen in Americam tacitis iubet ire carinis.
 Barbara cui natio socialia brachia iungit,
 Atque manus saevas animis atrocibus addit.
 Haec fera gens hominis fert tantum corpore formam:
 Mente refert vrsos & dira fauce leones.
 Vtitur horrendis armis cultuque ferino.
 Nulla fides dictis: ignorat parcere victo.
 Illi nec fatis est hostes vicisse cruento
 Marte suos: ardet victos lacerare, cutemque
 De tractam capiti spoliis adponit opimis.
 Interdumque vorat rabioso dente reuulso
 Artus victorum, vel tostos igne veruque,
 Vel crudos. Cyclops veluti Polyphemus in antro
 Immani fertur tepidum carpisse cruorem
 Terrigenae incauti, diris quem ceperat armis.

His

*) 1754.

4

His munita viris hac consociata ferarum
Gente fera, atque suis etiam firmata cateruis,
Gallia fluminibus pulcris armata propinquat:
(His Ohio nomen iam toto dicitur orbe)
Vindicet ut gladio, quae scriptis cedere nolunt.
Sic Paris ad graecas olim migravit arenas,
Atque Helenam rapuit, Veneris tristissima dona,
Ignarus, Troiae quas clades aduehat oris.
Gallus adit fluuium: cernit castella Britanni:
Adgreditur: captis potitur murisque virisque,
Atque nouas turres, noua propugnacula ripis
Adstruit, & late regiones milite multo
Occupat, ut parti tueatur limina regni.
Quid tranquillus agit contra possessor arenae?
Fallitur imprudens Anglus, frustra laborat
Vndique collectis inimici viribus aequo
Marte pares turmas opponere. Cedit vbique
Victori fluuius, cedunt confinia ripae,
Cedunt armati, cedunt castella locorum:
Gallus vbique ferox totis dominatur in aruis.
Ceu domus illustris cunctis stat peruia ventis:
Sic munita parum tellus fit praeda potentis.
De vi conqueritur, de rupta compede pacis
Anglus: sed surdas Gallorum saepius aures
Pulsat. Nil audit, qui non audire loquentis
Vult voces. Nemo lustratur surdior illo,
Qui non dignatur dictis precibusque moueri
Alterius. Frustra sic olim pacta rogauit
Pacis Alexandrum Darius: quippe Philipppo
Natus non alios secum regnare volebat
Per latos fines terrarum totius orbis.
Fortis Alexandri sectatur Gallia gressus:
Sed non Darii prosternitur Anglia fato.

Americae bellum veloci naue Britannis
 Adfertur, veteris colitur queis insula terrae,
 Insula diuitiis & robore clara virorum.
 Georgius heic alter, solio sublimis eburno,
 Imperitat regnis, queis Magna Britannia nomen.
 Rex aetate grauis, patriae pater, Optimus, atque
 Traiano melior. Princeps, quo iustior alter,
 Nec pietate viget, nec bello maior & armis.
 Hic fidei iustae defensor dicitur atque
 Cernitur. Hoc saluo stant relligionis honores
 Purgatae salui. Numen, da viuere regi:
 Caetera, quae volumus, dabit ipse Georgius orbi:
 Nam Deus in terris positus, moderante Jehoua,
 Numinis exemplum prudens imitatur vbique.
 Qui postquam sciuit, belli consurgere flammās
 Americae in terris, fatales omnibus aruis,
 Pectore commotus patris componere turbas
 Nititur & pacis fulcire labantia fulcra.
 Ipse rogat Gallos: cur rumpant fida quietis
 Otia? Cur telis inuadant regna malignis
 Acadiae? Pacem bello praestare perennem.
 Quid quaerant? Pactis componi posse petita.
 Parcant telluri, parcant mortalibus aegris,
 Queis sint exitio bellorum tristia fata.
 Ne fortes Anglos vagina educere ferrum
 Cogant: Anglorum ne brachia firma laceffant.
 Bellorum facili primordia stare labore,
 Difficili vero protrudi robore, & vsque
 Illorum euentum suspenta forte teneri.
 Pacis adhuc sese studiosum. Deinde iubentur
 Haec eadem regis legati rursus ab hoste
 Quaerere. Quum vero truculenti crescere belli
 Rex audit motus, nec Gallos cedere ab armis:
 Cogitur inuitus telis opponere tela,

Sed

Sed prius ad bellum portis quam tendat apertis:
Concilium propriae gentis vocat vndique frequens,
Cui Parlamenti dat Magna Britannia nomen.
Quo praesente, throno patriae pater infit ab alto.

Concilium sanctum, domus vtraque, magna minorque,
Vos proceres regni, mea laus, mea firma potestas.
Si quando vestris animis concordibus atque
Consiliis; opibus nervosis atque paratis
Si quando vestris egui: nunc tempora certe
Adiunt, quæis eadem regi præstare decebit
Vos vestro, populoque meo, nostrisque colonis.
Quam fuerim pacis semper studiosus amoenae,
Non ignoratis. Belli detestor amorem,
Et detestabor: populos quia vastat & vrbes.
Sed iam bella volunt Galli: nil pacta morantur,
Nil promissa: ruunt telis in rura scelestis
Acadiae: feriunt, rapiunt, raptoque fruuntur.
Omnia victori cedunt: non sistere cursum
Incola bellorum potis est. Ego plurima verba
Frustra consumsi: sed nullas Gallia curat
Voces; bellorum, quo coepit, tramite pergit.
Sic, vbi non dictis Galli flectuntur amicis,
Nolentes trahimur, quo Mars iubet ire Gradivus.
Num Gallos terras nostras nostrosque sinemus
Prendere ruricolas? Num nobis vulnera tanta
Tam temere ferient? Facinus meditantur acutum,
Diuitiis, opibus, nervis viduare laborant
Anglos, quæis fontis fluit India diuitis instar
Munere. Dum nobis rapiuntur pingua rura
Acadiae, pereunt Anglis commercia late
Extera. Quæis fractis vertentur fulcra salutis
Nostrae. Quæe terris procul hinc incendia surgunt
Americæ: nostras mox transfundentur ad oras.

Tunc, vbi cogemur, spoliati viribus, arma
Ferre humeri contra Gallorum tela nequibunt.
Integra nunc sed adhuc stat nobis pectore virtus:
Nunc paribus Gallos compescere possumus armis.
Ergo obnitamur, ne Magna Britannia Gallis
Ludibrio veniat. Gallos iam vicimus hostes
Saepe: Deo fausto nunc & vincemus eosdem.
Iustitia causae, vobis, populoque potenti,
In primisque Dei supremo Numine nitor.
Quae vos officium vestrum iubet ocyus ite
Effectum: ipse meas non neglexisse videbor
Partes. Seruabo socios, aliosque fideles
Coniungam mecum reges. Nauesque ducesque,
Arma, viros, pecudes, currus, tormenta facesque
Ire iubebo simul, quae Gallis robora nostra
Incutiant, sceleris doceantque abstinere ferro.
Vos mihi consilium, vos nervos rite gerendae
Ferte rei: reliquum curabit gratia caeli.

Dixerat. Excipiunt submissis frontibus omnes
Sermonem regis: subito concordia vota
Consiliis addunt, & votis pondera iungunt.
Tunc oratorum princeps sic ora resoluit.

Rex, genus egregium, fidei defensor & aequi,
Alme parens patriae, quem nos veneramur & orbis,
Accipe, quas fido ferimus tibi pectore grates
Pro cura populi, felicitis, rege tenente
Te fasces regni. Laudes tibi spargere iustas
Quis potis est? Utinam, quae volunt pectora, verbis
Ora tibi possent dignis expromere! Bellum
Auersatus amans pacis pactique fuisti.

AR

Ast non hostis idem sentit, cui corde repostus
Est alto sceleris fomes. Iam fraudis abunde est,
Iam sat terrorum. Stat belli causa, vocatur
Mars. Furit armorum studium atque insania belli
Vecors. Insidiis petimur, certaue ruina
Furtium Acadiae bellum gentemque solumque
Inuoluit patriae. Nunc te decet, optime regum,
Anglos tutari, detrudere finibus hostes,
Obniti sceleri, pacem sancire triumphis.
Nos tua fida domus, domus vtraque, magna minorque,
Te nostris opibus, nostris firmabimus armis,
Vt discant hostes, non recte temner Anglos.
Iustitiae causae faueat fortuna, precamur,
Numinis, adspiret iustis conatibus aether.

Haec ubi vulgantur populiue feruntur ad aures:
Omnes conclamant, coeca se fraude laceffi
Insidiisque malis Gallorum, prisca nouari
Criminia non vmquam vere placabilis irae.
Iam sua turbari late commercia, solis
Lampas, ubi prima collustrat luce colonos, *)
Postquam de gelido surrexit marmore ponti:
Nunc scelus adiungi sceleri, bellicue furorem
Ex oris Asiae propelli turbine nigro
Litus in Americae. Quid Gallus tentet, aperto
Marte malo, nullis iam porro posse latere.
Illatam sibi vim pellendam viribus esse.
Cur se vexari, sua cur commercia tolli
Sponte sinant? Gallos cur tendere tela recusent
Contra? Bellorum contundi robore posse,
Qui non pacificas cupiant audire loquelas.

Ta-

*) dissidia in India orientali has turbas Americae antecesserant.

Talia dicebant alii, cunctique fremebant
Adsensu vario, poscebant praelia cuncti.
Non quisquam citius trahitur, quam pectora cuius
Illuc inclinant, quo vi motuque trahuntur.
Quis penitus toto diuisos orbe Britannos,
Quis populum Anglorum, quis fortia pectora nescit?
Quamuis Marte sati non sint, quod turba Quirini
Quondam fingeat, Martis verissima imago
Sunt tamen. Horribiles romanis hostibus olim
Obiecere artus, nec victi prorsus ab vlllo
Hoste fuere diu. Postquam cum sanguine forti
Saxonico sese iunxerunt: martia virtus
Illius gentis, studiis ornata Mineruae,
Mercuriique bonis laute ditata, per omnes
Terrarum tractus peruasit & aequoris vndas;
Completoque solo, caeli surrexit ad astra:
In quibus aeternum famae seruabit honorem;
Donec caelorum regi parere studebit.
Caetera in posterum.



Conspicuum